

1085. 1494

31

I. N. 7.

DISSERTATIO PHILOLOGICA;

DE

**AURO E SE-
PTENTRIONE**

Job. XXXVII: v. 22.

Qvam,

*Consensu Ampliss. Ord. Phil. in Illustri
Academia Aboënsi,*

PRÆSIDE,

**CAROLO FRID.
MENNANDER,**

Scient. Nat. PROFESS. Reg. & Ordin.

F. Phil. h. t. DECANO,

PRO GRADU


Publico bonorum Examine submittit

DANIEL AHLBERG

SMOLANDUS,

Die XXII. Julii Anni MDCCXLVIII.

Loco horisque confvetis.



ABOÆ, Excud. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.

Admodum Reverendo & Praeclarissimo VIRO,
Dn. Mag. NICOLAO COLLIANDRO,
Ecclesiarum in Elghult & Helleberga Antistiti vigi-
lantissimo, adjacentis districtus Praeposito dignissimo,
Avunculo meo longe propensissimo, sincero animi
adfectu jugiter venerando.

Admodum Reverendo & Praeclarissimo VIRO,
Dn. Mag. PETRO COLLIANDRO,
Ecclesiarum Aishedaënsium Pastori dexterrimo, &
vicini districtus Praeposito adcuratissimo, Avunculo
exoptatissimo, quovis observantiae cultu suspiciendo,

Plurimum Reverendo & clarissimo,
Dn. MAGNO COLLIANDRO,
Ecclesiae in Hëng Pastori fidelissimo, Avunculo desi-
deratissimo, pia mente colendo.

Plurimum Reverendo & Doctissimo,
Dn. ERICO BÄRMAN.
Coministro in Helleberga meritissimo, Affini carissimo.

NEc more solum, nec arcto propinquitatis vinculo ductus,
quavis & haec mihi satis ansam praebent, verum
ob innumera nullo non tempore beneficia in me collata. Ve-
stris Nominibus opusculum hoc levidense exornatum, me-
que benevolentiae Vestrae in posterum commendatum volui.
Pro perevni Vestra incolumitate vota ad supremum Numen
fundere calidissima nunquam intermittam. Summa animi
veneratione ad cineres usque permanens

Admodum atque Plurimum Reverendorum
NOMINUM VESTRORUM

Cultor humillimus, observantissimus,
DANIEL AHLBERG.

Handelsmännenne i Åbo Stapelstad
Sögachtade

Herr HANS HINRICH WITTFOTH

och

Herr NIELS PIPPLING,

Mine gunstige Herrar och Gynnare:

Sär jag ensaldigt skrifwer här /
Om gull / det kalla nordern bär:
Fri sin famn och bræweds giömma;
Lå EDER gunst / som mer än gull
Dör prisas / rancken wyrdnads full
Ei kan ell' bär med skäl förglömma.

Lå såsom prof af tacksamhet /
Skönt thet för ringa är / jag wet! /
ER mine Herrar ödmuikt gifwer
Jag et oyrat pappers fram /
Som sig i liuset wägar fram /
Och ber / at thet försmätt ej blifwer.

Min önskan stads förblifwa skall /
At Himlen wärdes sällhet all
ER BÄDDN utaf mildhet vnnas!
I tiden wälgång til stort mått;
Och sedan härlig arfwelätt //
Thez tider mer ej taljas kunna !

Mine gunstige Herrars och Gynnars

Sögsförbundne tienare,
DANIEL AHLBERG,

Handelsmännenne
Sögachtade
Herr JACOB BREMER
i Åbo;
Herr MAGNUS QWAST,
Herr WILHELM EDENBERG
Och
Äldermannen i det löfl. Bagare Embetet
Herr LUDWIG THIESE
i Stockholm,
Högstärkade Gynnare.

Et är mig en sågnad / at önskeligt tillfälle omsi-
nad / för den mig i mer än många åhr gunstigt be-
twista ynnest och godhet. Til et skyldigt fast ganska
ringa wedermåle af min tacksamhet vpoffer jag E-
DER detta *Academiska* arbetet: med trogen önskan /
det täcktes den Gudomeliga Förshnen vpehålla mi-
ne gunstige Herrar vti en långvarig och beständig
sällhet!

Samtelige mine Gynnares

Hörsamste tjenare,
DANIEL AHLBERG.

§. I.

Mihi specimen quoddam Academicum edituro, variasque, ex amplissimo campo Philologico, dissertationis conscribendæ materias animo volventi, inter alias dictum in titulo dissertationis citatum meditatione dignissimum visum est. Est hic liber sacer Jobi in eo potissimum occupatus, ut Dei providentiam, & paternam erga suos, in mediis etiam afflictionibus curam inde addiscamus. Hinc Jobus, ejusque amici, illam quæstionem ultro citroque ventilant: an etiam pii a Numine affligantur, & an hoc fiat justo judicio? Quod dum agunt, Theologiam integram, non revelatam modo, sed etiam naturalem, ab operibus divinis stupendis, exhibent. Magnalia vero hæc in natura ita accurate, vividissimisque coloribus depingunt, ut vel unicum hunc librum integram scientiam naturalem ad Theo-

A

logiam

logiam applicatam, quamvis non systematicam, exhibere, aliqui non dubitent contendere (*). Mundi enim hujus theatrum cogitatione obambulant, corporum tam cœlestium quam terrestrium, tam elementorum quam naturalium, naturam, proprietates, motus, mutationes considerant; cumque hæc omnia reperiant secundum fixas leges stupenda harmonia contingere, inde infinita attributa summi conditoris detegunt. Imo, observavit *Nieuventytius* (**), occurrere heic veritates aliquas Physicas, illo, quo consignabatur hoc scriptum, tempore, humanum genus latentes, & multo post detectas, ex quibus argumentum ad originem hujus libri divinam peti posset. Refert in hunc centum Cap. XXXVIII: 31. ubi attractionis inter corpora cœlestia injicitur mentio, & cap. XXI: 23, 24. ubi vasa in corpore animali la-
 etea,

(*) vid. *Schenckzeri Jobi physica Sacra in præfatione.*

(**) Erkenntnis der weisheit/ macht und gute des Göttlichen wesens/ aus dem rechten gebrauch der betrachtungen aller dinge dieser welt/ p. 720. seq.

itea, inventa demum seculo superiori, descri-
 buntur. Talis etiam est locus cap. XXVI: 7.
 ubi terra suspensa dicitur super nihilum, &
 ejus vis centralis, qualis hodie cognoscitur,
 videtur indicari. Possent plura ejusmodi dicta
 Jobitica afferri, si id jam ageremus. Ad ho-
 rum vero, & aliorum quæ veritates naturales
 continent, locorum intelligentiam, ab inter-
 prete sacro physicæ etiam scientia requiritur.
 Eget illo adminiculo quoque locus hic noster,
 circa cujus expositionem philologi, etiam scien-
 tiæ naturalis periti, in diversa abeunt; cum
 nonnulli mineralogicam, alii meteorologicam
 illo exhiberi opinentur veritatem. Antequam
 vero nos ad illius enodationem pedem promo-
 vemus, tuam, c. l. benevolentiam atque favo-
 rem expetimus, velis & angustiam tractationis,
 in quam temporis brevitatis nos redegit, & te-
 nuitatem ingenii ad præstantissimam hanc ma-
 teriam enucleandam, oculo benevolo adspice-
 re, & sub talem censuram revocare opellam
 hanc nostram, qualem tibi ab aliis expectas
 & promittis. Verba textus Ebraei hæc sunt:

מצפון זה יאחה על אלוה נורא הוד:

BRevissimis primo voces in versu hoc nostro
 occurrentes contemplabimur, quo ita de
 interpretum explicationibus & versionum fide
 ferri possit sanum iudicium.

Vocabulum מַצְפֵּן omnium primum est, quod
 descendit a rad. Ebræa צַפַּן, quæ generatim cu-
 juscunqve absconsionis notionem importat, &
 interdum metonymice obscurandi & obtene-
 brandi actum significat. Inde orta hæc vox
 in sensu generali notat aqvilonem, seu plagam
 mundi septentrionalem, quæ dicitur abdita,
 quia nimirum sol ibi interdum absconditus later.
 Speciatim & per synecdochen respectu Judaæ
 apud Sacros Scriptores Chaldaeam ejusqve me-
 tropolin Babelem; respectu Babelis Mediam
 & Persiam &c. designat.

זהב *aurum*, *Majus* a fulgore & splendore di-
 ctum putat, & cum radice Chaldaica צַהַב *ful-*
vus, fulgidus est, cognationem habere arbitratur.
 Alii cum *Opitio* ad alias radices Chaldaicas Sy-
 riacas & Samaritanas, vel etiam Arabicas dila-
 buntur. Nonnulli lepide nomen זהב effectum
 opinantur quasi זהב זה *istud affer mihi*, cum il-
 lud

lud dicat plerumque cor hominum; ubi au-
 rum conspiciunt. Facit vero scriptura sacra
 hujus metalli, sub variis nominibus, gradum
 puritatis diversum plerumque indicantibus, unde
 etiam *Talmudista* in *Joma* septem genera auri nu-
 merant, sæpius mentionem, & tam de modis illud
 eruendi & probandi, quam etiam de usu ejus
 in vita communi, ad monetam, in mercatura,
 vestium ornatu & ad utensilia, loquitur. Præ-
 ter generalem & proprium auri significatum,
 quem communiter servat hæc vox, aliquan-
 do occurrit in scriptura sacra metonymi-
 ce sumta, de rebus ex hoc metallo con-
 fectis, utpote dum aureum nummum notat II.
 Reg. V: 5. vel idola gentilium, Pl. CXV: 4.
 Synecdochice sumitur pro munere quocunque
 præstanti & eximio, quatenus aurea dona pre-
 tiosissima censentur. Pl. LXXII: 15. Metaphorice
 denique perfectissimum & purissimum hoc me-
 tallum res aliquando splendentes & puras de-
 signat, ut oleum, auro fluido haud absimile,
 Zach. IV: 12. Et metaphorico ejusmodi sensu
 hanc vocem etiam heic adhiberi multi volunt,
 ut nimirum designet lucem purissimam, & sere-
 nita

nitatem cœli, auri in modum rutilantem, quam venti aqvilonares, dum dispellunt nubes, pariunt. Quorum rationes in sequentibus erimus allaturi.

וַתָּבֵי veniet, 3. sing. fut. kal a rad. וָבֵי ve-
nit, quæ cum particula וָבֵי videtur habere af-
finitatem, quia veniendo ad se invicem fit
societas. Verbum hoc lingvæ Chaldaicæ formas
& flexiones haud raro imitatur.

§. III.

JAM ad posterius versus hemistichium eadem
brevitate considerandum properamus.

אלהי notissimum illud Dei nomen est, ens
illud eminens, cui insunt omnes perfectiones,
indicans. Nonnulli hanc vocem ab אלהי, quæ
nunc Hebræis deperdita esset, sed apud Ara-
bes superstes; coluit, adoravit, volunt accersere.
Sed præpostera illa videtur originationis institu-
endæ ratio, ut matris communis Ebrææ voces,
& hoc potissimum principale vocabulum,
deducantur ab hac filia, quæ est inter natu
postremas; cum tamen vox אלהי adeo an-
tiqvi usus fuerit, ut jam in historia creatio-
nis, & ante lapsum, in colloquio, quod cum
serpente instituit mulier, adhibita legatur. Hinc
vero

vero magis est consentaneum, Arabicum illud
 verbum ex Hebræorum nomine fuisse efforma-
 tum. Coccejo & aliis hujus vocis derivatio pla-
 cet ab הלה *exsecratus est, juravit*; quodque
 proprie denotaret eum, cujus est execratio-
 nem pronunciare. Sed & hic voces dissonant,
 & res ipsa reluctatur. Consensum enim vocum
 harum hi potissimum quærun in imprecatione
 juramenti adjuncta, quæ tamen non omnibus
 adjicitur. Nec probabile est, Deo a maledi-
 ctione ejusmodi horrenda placuisse nomen, qui
 nos bonitatis suæ mentione potius allicit. Ni-
 tuntur hæ & aliæ plurimæ Lexicographorum
 hallucinationes illa hypothese, quod debeat ra-
 dix omnis esse verbum, idque trium literarum,
 cujus tamen insufficientiam & falsitatem ostendit
Jac. Guffetius in lexico lingvæ Hebræicæ,
 voce שנה. Proprie Deum verum denotat hoc
 nomen; quod vero tribui etiam in sacris literis
 angelis bonis, hominibus, magistratibus, ju-
 dicibus atque idolis communiter lexica contem-
 dunt. De quibus tamen acceptionibus omnino
 conferendus est nuper citatus *Guffetius*, sub hac
 voce. Multo frequentius in sacro codice plu-
 rale

rale מלהי, quam singulare מלוה, occurrit; illud bis millesies quingentesies circiter, hoc tantum quinquagesies & septies, idque rarissime nisi in poetis. Apud Jobum nostrum frequentissime adhibetur, quadragies nimirum, cum in reliquis libris divinis non nisi sedecies legatur. Unde apparet, formam pluralem fuisse & antiquiorem & frequentiore. Quamvis enim singulare jam a Mose, in cantico ejus Deut. XXXII. bis adhibeatur, sunt tamen, qui conjectant, hoc metri causa ab illo fuisse inventum & adhibitum, indeque in scripta alia transiisse. Habet vero מלוה heic loci sibi præfixam particulam על, simplici significatione *super*, qua communiter gaudet, dum nominibus vel pronominibus præmittitur.

נורא a ירא *timuit* participium Niphal, *timendus, reverendus, terribilis*. Qua voce tamen scriptura non metum aliquem servilem nobis incutere vult, sed pietatem exigit. Timere enim Deum ubique significat pium esse.

הורר *decus, gloria, majestas, excellentia*. Huic voci *Arn. Bootius* generalem excellentiæ significationem adjudicat. *Coccejus* hanc descende-

re existimat ex הורה *fassus est*, & notare claritatem ac evidentiam virtutis ac vigoris. Nomen hoc frequentissime cum הרה conjugitur, inter quas voces vel nullum intercedere discrimen judicat *Gussetius*, vel illud, quod hæc sit aliqua velut appendix illius rei, quæ הרה nuncupatur, & respectum habeat ad instrumenta, quibus, qui pollet majestate, utitur ad res ita gerendas, ut inde magnitudinem suam melius demonstret, magisque suspiciatur & colatur. Ad designandam Numinis majestatem & gloriam infinitam vox הרה sæpissime usurpatur.

Circa hanc posteriorem versiculi nostri partem in transitu observamus, voces hæc occurrentes diverso modo connecti; ita ut nonnulli penultimum vocabulum cum antepenultimo construunt, alii bina postrema jungunt. Hinc priores vertunt: *super Deum formidandum est majestas*; hi vero: *super Deo majestas est formidabilis*. Sed illos accentum negligere manifestum est, quo, conjunctivo sive serbo, notatur vox הורה, quæ, ut prædicatum, pro more Hebræorum, subjecto suo præponitur.

Circa prius vero hemistichium majores occurrunt difficultates, ubi interpretes & commentatores in bina quasi castra, & numero defendentium, & argumentorum pondere, fere aequalis, abiisse videmus. Illorum una pars, quod jam in superioribus indicavimus, ad meteora hic respiciendum esse ducit, altera ad regnum minerale nos ablegat. Tales tamen sunt hae sententiae, ut utram earum quis eligat & tueatur, veritatem magni momenti, & insignem septentrionis laudem, his divini libri verbis contineri, certum tamen maneat & inconcussum. Oritur autem omnis haec controversia ex voce *גוֹלְד*, quam aliqui, e. g. versio vulgata, B. Lutheri, licet in glossa adponat: *Gold* / *daß ist hell wetter wie lauter gold*; Batavica, Svecana, Finnica, per *aurum* exponunt: Alii per *aureum solis splendorem* & *serenitatem auro similem*, ut versio *גוֹלְד* LXX. Junii & Tremellii, Tigurina, Anglicana, Gallica, Perlebergensis, &c. Priores in proprietate vocis esse manendum urgent, &, tanquam vallo, se tuentur canone Philologorum principali.

11

pali: non licere a propriis vocum significatio-
 nibus discedere, nisi pręgnantes omnino ratio-
 nes, & ipsa necessitas, hoc requirant. Ta-
 lem vero pręsentem casum non esse, ubi com-
 mode nativus servari potest sensus, & ubi nec
 exemplum adesse contendunt acceptionis hujus
 vocis tropo adeo duro; apud Zachariam enim
 metaphoram multo aptiorem esse, cum detur
 oleum flavum, & auro fluido prorsus simile.
 Asserunt itaqve, quod in hoc & antecedenti
 versu Elihu de toto ante acto negotio senten-
 tiam complectatur, & comparationem rerum
 mundanarum, lucis & auri, quę videri & in-
 veniri queunt, cum majestate Divina, imper-
 scrutabili & inaccessa, instituat. Hoc ipsum
 indigitare eum monent pręmissione emphaticę
 vocis *האם* vero non est illis simplicis nega-
 tionis, sed interrogativum, ita ut *האם* interro-
 gationis subaudiatur. Quę interrogatio nega-
 tiva, stans pro affirmatione vehementi, etiam
 in hoc nostro versu repetenda esset, ut sensus
 emergat: *Nonne a septentrione aurum venit?*
 Considerandum itaqve in pręsenti loco volunt
 septentrionem ut *סוד*, *absconditum*, *remotum*,
 B2 quod-

quodque heic indicetur, ex remoto adeo loco aurum valde absconditum erui tamen & advenire, cum hoc tuum antecedens, inventionem, includat *. Hoc tamen non exclusive sumendum esse movent, quasi non a meridie quoque nascatur & veniat, aut quasi, quæ nonnullorum fuit opinio, in regionibus aqvilonaribus frigidioribus, aurum purius & pretiosius, quam alibi, inveniretur, cum calor ibi sese intro cogat, ob externi frigoris vehementiam; aurum enim etiam meridianum optimum Jobus eiusque amici prope in Arabia habere potuerunt. Quod ab aqvilone venire aurum dicit, non ita est accipiendum, quasi non aliunde; nam & ab oriente & ab occidente venit quam plurimum, sed quasi inde quoque. Id vero experimento cognitum est, quandoquidem omnes, qui de metallis scribunt, Panoniam, Bohemiam & Austriam, & citeriorem Germaniam, inter feraces auri provincias commemorant **. Nonnulli E. Ihu heic potissimum respicere ad aurum Colchicum

* conf. Seb. Schmidium, ad h. l.

** Franciscus Vallesius de sacra philosophia, p. 377.

chicum volunt, quod esset illud terræ Hevilah. Gen. II: II. quæ regio respectu Arabiæ & Pales-tinæ septentrionem versus sita erat ***. Quod etiam postmodum Judæi, quibus nullæ erant fodinæ, e terris ad aqvilonem sitis aurum suum & divitias attulerint, confirmare videtur hæc Rabbitorum locutio:

הרצה להעשיר יצפן: הרוצה להחכים וירויב:

Qui vult ditescere, septentrionem adeat; qui vult sapiens fieri, petat meridiem ***. Neque desunt hujus metalli in hyperboreis etiam locis, & remoto abditoque septentrione, tam antiquo quam recentiori ævo, indicia. Huc spectant de Gryphis in septentrione auro incubantibus veterum, *Herodoti, Mela, Strabonis, Solini, Plinii, Casiodori* aliorumque narrationes vel fabulæ, quas jam Jobi ævo etiam per orientem, invaluisse, & ab illo esse refutatas C. XXVIII: 6, 7. sunt qui suspicantur. Non vero ruditer hieroglyphica veterum accipienda esse recte observarunt varii, sed per *Gripas* intelligi tam aurum

*** Schenckzeri *Jobi phys. sacr. ad h. l.*

**** *Kaphtor Usherach fol. 9. col. 1. & in Tab-mud Bava basra, fol. 25. col. 2.*

aurum aliasque res pretiosas, quam illos, qui hæc conquirebant & asservabant. In historiis nostris antiquis nullius metalli sæpius, quam auri, fit mentio. Stupenda illius copia obducebatur templum idololatricum Upsaliente; & præterea nientæ, armillæ, annuli aliaque utensilia aurea haud levis ponderis sæpissime ibi commemorantur; & fidem narrationibus his faciunt inventa in tumbis veterum aliisque locis recentiori ævo majora minoraque ejusmodi antiquitatis cimelia *****. Magnam quidem hujus metalli partem per piraticam & commercia ab exteris regionibus comparaverunt sibi veteres hyperborei, sed aliquam tamen etiam ex propriæ terræ visceribus eos cruisse, evincere videtur & copia ususque auri, nullibi illa ætate frequentior quam in septentrione, & auctorum variorum, tam exterorum quam domesticorum, testimonium *****. In metallis reliquis nostris, ipsisque lapidibus, pyritis, talco, granatis, &c.

ad se

***** *Conf. Nob. & Cel. Assessoris E. J. Biörners Nordiska Hielteprydnað af guldringar.*

***** *Sufficiat adauxisse solum Ol. Magnum qui l. VI. c. 10. de auri mineris olim abur-*

ad esse auri vestigia, utrunque exigua, abscon-
dita & involuta, res est hodie notissima. A-
bundantiorum quoque hujus metalli proven-
tum recentiori auro dedisse & Sveciam *****
& Norvegiam ***** , neminem fugit.

§. V.

dantibus, postea vero ob pestem, bella, famem
derelictis, loquitur.

***** Ita Gubernator Dalekartiæ Perill. Baro
N. Gripenhielm 1695. nummos cudendos cura-
vit ex auro in Dalia, prope veterem argenti
fodinam orientalem, invento. quos vide in Bren-
neri thesauro nummorum Sueog. p. 229. Nec
Cæarcventziana fodina reticenda est, 1711. de-
tectæ, ex qua etiam auri fulgor sese diffudit,
& cujus ubertatem carmine gratulatorio ita
exprimit Nob. Sophia Elis. Brenner:

Swad halten kommer wid / som måst är angelågit /
Eå gier hwar centner malm / när alt blir sårskilt
wågit /

För so skålpund bli / rent silfwer otta lod /
Sint guld en half Ducat, mon' sådā malm är god?
Has vero divitiis superat aurifodina Smolandica.
ab Anno 1738. cum successu exulta.

***** Ex auro Norvagico 1647. cusi nummi,

§. V.

Altera pars, quæ jam audienda est, ad n-
 xum textus provocat. Cum enim in an-
 tecedentibus longa serie actum sit de magnali-
 bus divinis in aëre & meteoris, & v. prox. de
 luce cœli sereni, etiam hic, de serenatione
 ejus per ventum septentrionalem fieri sermonem,
 adeoque per aurum designari lucem purissimam,
 contendunt. Non enim judicant probabile,
 post prolixam de meteoris tractationem, ex ab-
 rupto quasi, ad thesauros subterraneos riman-
 dos hic descensum fieri; hinc potius ad figura-
 tam.

*imperante Christiano IV. quorum pars aversa
 perspicillum habet, cum inscriptione: vide mira
 domi. Christiani vero V. tempore 1697. ex fo-
 dina Regiomontana aurum prodiit, quod signa-
 tum dicto hoc nostro superbit: Hiob. 37: 22.
 Von mitternacht komt gold. Conf. Olig. Ja-
 cobai Museum Regium, p. 86. § auctar. 40.
 tab. XXIV. n. 40. § XXXIX. n. 10. Et
 quamvis hæc verba secundum fontes non pati
 illum sensum contendant, sed loco auri ponen-
 dum esse fulgorem, Lutheri tamen versionem
 hic appositam § in rem apprime facientem censet.*

tam τ α η significationem dilabuntur, quam vo-
 cem non esse proprii sensus ita tenacem, quia
 aliquando in metaphoricum abeat, adductione
 Zach. IV: 12. ostendunt. Argumentationem a mi-
 nori ad majus hoc & antecedenti versu contineri
 hi asserunt, quod nimirum homines lucis so-
 laris in caelo splendentis, & ventis transeunti-
 bus, potissimum aqvilonariis, serenati, adspe-
 ctum ferre non possint, adeoque eos multo mi-
 nus lucis inaccessæ & divinæ majestatis, adspe-
 ctabilem lucem infinite superantis, conspectum
 posse tolerare. Et ventos quidem septentriona-
 les aërem depurare serenumque reddere, abun-
 de testatur experientia. In septentrione enim
 lucis copiam & abundantiam deposuit Numen,
 per dies æstivos longissimos & noctium fere ex-
 pertes, per chasmatum frequentiam, per hori-
 zontem purissimum, & lunæ stellarumque hye-
 mali tempore lucem vividissimam, per nives de-
 niqve & glacies, luminis radios fortiter reper-
 cutientes, & quasi multiplicantes. Hinc est,
 quod non modo multo plus lucis possideat se-
 ptentrio quam loca quæcunque meridionalia,
 sed quod etiam illis & integro huic orbis he-
 misphærio, in opposito enim contraria res est,

id insuper exhibeat beneficii, ut ventis suis, propter frigus densioribus, adeoque magis impetuoso latius motu, nubes eorum & nebulas, putridas plerumque & foetentes, dispellat, atque ita lucis & serenitatis illis quoque conciliet usuram. Hinc, regnante vento boreali, ascendit mercurius barometri, vapores dissipantur, & aer serenitatem induit.

§. VI.

NEc illud reticendum est, fuisse philosophos, quorum dogmata, si veri quid illis subesset, ad componenda hæc sententiarum divortia apprime conducerent. Hi enim solem ejusque radios, & aurum, unius ejusdemque indolis & naturæ crediderunt. A qua opinione primo intuitu nec multum alienus esse videtur *Scheuchzerus*, qui ad l. hunc nostrum: *Wann jemand zweifelt / das Gold lust / und lust gold seye / der kan sich seinen scrupul benehmen lassen aus vorliegenden worten.* Astrologorum varii solem esse aurum tutum in centro mundi, cupellatum igne astrorum illum ambientium, docuerunt. Hinc fieri, quod rotetur instar auri in crucibulo fusi, ibique scintillantibus & purificati, quodque radii, quos undi-

diqvaqve emittit; non sint nisi scintillæ aureæ inde exhalantes. Hanc sententiam avide arripuerunt Alchymistarum nonnulli, qui, non contenti, solem & aurum communi compellasse nomine & signo, illum quoque pro metallorum patre venditarunt, quorum aurum esset filius ejus legitimus, reliqua non nisi nothi, & in matrice corrupti, quæ auri dignitatem attingere non possent, nisi inquinamento naturali liberarentur. Influencias insuper solares, & mirabilis magnæque hujus cupellæ fumos, posse arte concentrari crediderunt, atque ita fixos reddi, ut auri semen constituent, & materiam magno operi & naturæ arcano, sanitati simul & divitiis utilissimo, quodque medicinam & corporum nostrorum & metallorum faceret, suppeditent. Hinc ipsum lumen non esse, nisi aurum, vel rarefactum solem, contendunt, adeoque aërem, dum dies est serenus, plenum esse hujus dispersi auri, quod pro spiritu universalis habendum ducunt, quodque inprimis nobis, dum respirando semper hujus rarefacti & potabilis solis aliquot atomos attrahimus, vitam adferret & conservaret. Hinc denique intelligi posse credunt veterum locutiones: *de commercio*

cio cæli & terra, catena aurea firmato, de Apollinis
 comis aureis &c. * Ventus itaque borealis, dum
 serenitatem producit, pleniorē lucis hujus aureæ
 hominibus & reliquæ naturæ concederet usum.
 Sed non licet ludere in re seria, nec jucundis his
 de aureis montibus somniis diutius immorari.
 Sunt inter recentiores naturæ interpretes, qui
 solidum potius judicant solis corpus, cum alias,
 admissio motu ejus vertiginis circa axem, &
 juxta *Newtonum*, progressivo circa planetarum
 centrum commune gravitatis, diameter æqua-
 toris ejus respectu axis, secundum leges viri-
 um centralium, multo major esse & fieri de-
 beret, quam ostendunt observationes. Radios
 vero solares esse purissimæ igneæ naturæ, ex-
 perimenta abunde comprobant.

§. VII.

JUDICIUM qualecunque nostrum de controversia
 §. §. IV. & V. agitata, laturo, non veremur illis
 accedere, qui propriam vocis auri significationem hic
 tumentur. Semel tantum in sacro codice Zach. ni-
 mirum IV: 12. figurato sensu vocem אור occurrere
 vidimus & sæpius indicavimus, neque tamen illo, quem
 hic eidem jungunt contrariæ sententiæ defensores.
 Versatur ibi Propheta in interpretatione duarum oli-
 va-

* *Conf. G. B. de Saint Romain physica, sive scientia natu-
 ralis, scholasticis tricis liberata, p. 108. & 305. seq.*

varum, ex quibus duo furculi, pleni oleo, illud in fundum septem lucernarum aurearum ad easdem alendas, per duos canales seu fistulas aureas, deferunt. Hic liquor aureus dicitur, cum nimirum, ex auro in aurum defluens, ob pelluciditatem plane aureus appareret. Quis itaque non videt, metaphoram hic, si ad sensum nostrum phænomenon referatur, esse nullam, ex rei veritate vero multo molliorem aptioremque, quam dum serenitas & solis splendor aureus dicitur? Præterea de serenitate aëri ventorum ope inducta jam versu proximo locutus est Elihu, adeoque vel admittenda erit ejusdem rei repetitio; vel statuendum, aliam rem possibilem hominibus, inventionem nimirum auri in septentrione, hic subiungi. Duplici etiam tam argumento, supra terrestri uno, subterraneo altero, adeoque fortius, comparatio, quam instituit inter res hujus mundi & Conditorem, oculis & menti sistitur. Possit nimirum illas videri & inveniri, posse homines lucem sereni cœli adspicere, & aurum, etiam in abstrusissimo æquilone absconditum, invenire tamen & eruere, aliisque abstrusa detegere; Deum vero esse rebus creatis dissimilem, imperisrutabilem & inaccessibleis majestatis, qui, cum judiciis sapientiæ & justitiæ suæ, ab ullo intellectu penetrari non potest, quemque ideo omnes, cum pio venerationis affectu, revereri coguntur. Quem utinam & nos semper venerabundi laudemus, tam ob innumera alia beneficia, quam quod aurum in ultimis septentrionis oris nasci adeo clementer concedit!

TANTUM.

Monſieur.

Avoir toujours préſens à ſa mémoire les bienfaits qu' on a recus, & n' en point differer la reconnoiſſance, c' eſt une vertu, que les Païens mêmes n' ignorent pas. Je ſerois donc ingrat de laiſſer paſſer l' occaſion de faire connoiſtre combien je ſuis ſenſible aux bontés, dont Vous m' avez donné tant de preuves. Ma joie eſt inexprimable, d' entendre que Vous allez mettre en lumiere un eſſai de Votre erudition, n' étant pas en état de publier les louanges, qui Vous ſont dues, je me contente de Vous feliciter, & de faire des voeux à l' Etre ſuprême pour votre proſperite. Voila quels ſont les ſentimens de celui, qui eſt avec toute la ſincerite poſſible

Stockholm d. 24. Junii
1748.

votre tres humble ſerviteur,
CHRISTIAN QWAST.

Monſieur.

Il eſt certain, qu' il n' y a pas de crime, qui répugne plus à la nature que l' ingratitude. Les anciens Romains en ont eu une ſi grande horreur, que la derniere injure qu' ils pouvoient dire à un homme, étoit, de l' appeller ingrat. Vous pourriez avec raiſon me taxer de ce vice, ſi je me taiſois en cette occaſion, & que j' oubliſſe les tendres obligations que je Vous ai depuis trois ans. La diligence, que Vous avez aporté à me gouverner dans mes études, ne peut être aſſez louée, elle eſt telle même, que je ne ſai comment Vous en temoigner ma vive reconnoiſſance. Agreez donc, Monſieur, que je joigne ma voix à celle de tous les autres, pour Vous feliciter de tout mon cœur, & prier Dieu, qu' il comble toutes Vos entrepriſes d' une fortune, conforme à mes voeux ſinceres. Je ſuis

Monſieur

votre tres humble ſerviteur,
GUSTAF WITTFÖR.